

Q.H.352,42.

II
610

DE QVIBVS DAM
ARTIBVS PARTA TVENDI

AD CÆS. B. G. VIII, 49.

NONNVLLA PRAEFATVS

AD

X 23 A 6492

DVORVM ACADEMIAE CANDIDA-
TORVM

ORATIONES AVDIENDAS

QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CHRISTIANVS BENEDICTVS MILCKIVS

SCHOLAE CATHEDRAL. RECTOR.

NVMBVRGI,

IMPRIMEBAT, IO. GE. LAITENBERGER.

LITTER. BOSSOEGEL.





*

*

*

Parta tueri virtutem esse, neque minorem quam quaerere, quis est, qui nesciat? Quibus autem hoc artibus fiat, non alienum erit, pauca considerare. Si ea tantum, quae armis pariuntur, respiciamus, miramur quidem omnes Cyrum, Alexandrum, alios, tot gentes, quam lingua, tam moribus, legibus, institutis diversas, per vim imperii suis adjicere, easque prioris suae conditionis immemores victori non invitatis obtemperare, eundemque etiam fatis concedentem lugere. Videmus vero Pyrrhum Epirotam aliasque magnos bellatores non minore fortitudine aliena regna invadere, obvia quaque vincere, urbes regnaque occupare, occupando senescere, quantum tamē ceperunt, tantum etiam, et plura, perdere. Quae-
ris causam? Sine dubio artes illi calluerunt parta tuendi, hi minus. Quae igitur sunt illae artes? Docere quidem nos meminimus Sallustium, (a) *iisdem imperium artibus facile retineri, quibus initio partum est*: et C. Caesarem commemorat Dio Cassius (b) *jactare solitum, δύο ἐναντά τὰς δυνατέσιας παρασκευάζοντα καὶ φύλασσοντα, καὶ επάντας πρατιώτας καὶ χείματα, duo esse, quibus principatus comparetur, servetur et augeatur, milites et pecuniam, ut alios alias artes tradentes praetermittam*. Sed haud paulo plenius et accuratius easdem nobis artes Hirtius, (c) *sive quicunque aliis libri octavi Commentariorum C. Caesaris de bello Gallico auctor est, monstrare videtur, cum Caesarem, ait, decessionem ex Gallia parantem, id unum habuisse propositum, ut ne cui civitati aut spem aut causam daret armorum.* Habet hic omnem rationem parta tuendi ante oculos positam, at quam breviter, quam concinne, quam eleganter. Caesar nimirum decimum jam annum in Gallis agebat, quos multis magnisque praeliis fractos libertateque spoliatos Romanis fascibus subjecerat. Videbat sibi, quem unum omnium Romanorum maxime Galli timebant, tandem decadendum esse de provincia, neque ignorabat, cum Pompejo sibi armis fore de principatu disceptandum, deducere cupiebat exercitum tam sui studiosum quam Gallis formidolosum. Verebatur itaque ne Gallia spe discessus sui ren-

van-

(a) B. C. c. 2.

(b) lib. XXXXII.

(c) B. G. VIII, 49.

vandi belli, quod sine periculo susceptura videbatur, consilia agitaret. Ne igitur necessitas ipsi imponeretur exercitum, tot suis beneficiis de-
vinctum, in Gallia relinquendi, minorque se gloria sequeretur, si pro-
vinciam, tot annos administratam, alii permitteret debellandam, id
unum sibi agendum existimavit, ut Galliam traderet pacatam.
Quod ut esset, honorifice Caesar (*d*) civitates appellavit, principes
maximiis praemiis affecit, nulla nova onera imposuit, defessam tot
adversis paeliis Galliam conditione parendi meliore in pace contine-
re studuit. Habes rationem, qua *causam* armorum Galliae Caesar a-
demit. Idem (*e*) cum, maximam exercitus partem deducturus, o-
mnem provinciam praesidiis continere non posset, illud tamen curavit,
ut Belgas, quorum maxima virtus, et Aeduos, quorum auctoritas sum-
ma esset, exercitibus teneret, eoque consilio in Belgis C. Trebonium
cum legionibus quatuor collocavit, C. autem Fabium cum totidem in
Aeduos deduxit. Habes etiam modum, quo novae provinciae vicit
spem armorum eripuit. Neque opinio eum fecerit. Non enim mo-
do sub dicessum Caesaris Gallia non rebellavit, verum etiam cum Ro-
manum imperium in duas partes discissum dissensionibus civilibus im-
peditum videret, fortunae uti beneficio bellicosissima natio, eademque
servilis iugi impatientissima, aut noluit, aut non potuit, ut recenti
servitute depulsa in libertatem se vindicaret. Quin nullo postero
tempore alienum imperium detrectavit, et quoad per Germanos licu-
it, in Romanorum fuit potestate. Mitto alias artes magis occultas
minusque probandas, quibus id Romani effectum dedisse existinan-
tur, illud mihi tantum statuendum sumo, viam ad parta tuenda unam
omnium expeditissimam ac certissimam esse, si victis nec potestas re-
bellandi, nec voluntas, vel ut Hirtius ait, nec *spes* nec *causa* armo-
rum relinquatur. Quas quidem duas res ad novos cives in officio
continendos ita sufficere arbitror, ut alteram sine altera difficilem,
mancam atque infirmam esse putem. Nam spem quidem unam ar-
morum victis ademisse, si qui satis esse ducunt, de causis belli inte-
grandi parum solliciti, videant, ne minus bene rationes suas subdu-
xisse videantur. Ut enim taceam, quantum periculum sit, ne o-
mnem suum laborem frustra sumant, illud tantum cogitent, quid opum,
temporis, circumspectionis et sollicitudinis requiratur ad invitatos in
potestate retinendos. Quis enim ignorat innatum omnibus liberta-
tis

) (2

(d) l. c.

(e) l. c. c. 54.



tis desiderium quid possit, quo victoris odium agat homines, et si ac-
cesserint onera paulo graviora, si a contumeliis injuriisque victor sibi
non temperet, si in furorem homines dentur, quae tanta potest esse vis,
quae cohibere aut ad obsequium redigere id hominum genus queat? At
tanti armis subiectos homines quis faciat, ut eorum aucupare gratiam
studeat? exstruantur arces munitae, imponantur firma praesidia, ob-
struantur omnes erigendi se viae, frangantur spiritus oneribus, contu-
mellis, acerbitate. At non undique valent hae artes, neque iis
rebus homines tam franguntur quam eriguntur, exacerbantur, et in
rabiem vertuntur. Meminimus ab iratis hominibus, quamvis pau-
cis, victores vinci, castella munitissima occupari, praesidia firmissima
dejici, maximos exercitus fundi, magnamque stragem edi, atque eos
aut nunquam aut magno demum temporis spatio, immenso cum labo-
re et insigni hominum cum internecione ad officium cogi. Incredibili-
bile est, quid furor efficiat. Nihil attinet ex omni temporum me-
moria omniumque populorum annalibus plura exempla in medium
adducere. Quis est, cui non maximus eorum numerus ex prisca et re-
centi aetate vel ulro occurrat? In memoriam revocet, cui placet,
quanti Romanos bellum servile et Carthaginis Numantiaeque eversio,
Trajanum Adrianumque Judaeorum rebellio, Austriacam domum
Helvetiorum, Belgarum, Lusitanorum defectio constituerit, cogitet
vesperas illas Siculas et innumerabilia alia, quorum vel nomina haec
pagina non capit. Liceat tantum ex pari exemplorum contra se
posito ostendere, quam difficulter parta tueatur, qui homines tantum
armis, quam facile, qui animos etiam benevolentia capere studeat.
Sistamus nobis Alexandrum illum Macedoneum et Carolum Francum,
utrumque et animo et consilio et felicitate et rerum gestarum gloria
magnum, illum duodecim annis Asiam ab uno mari ad alterum incre-
dibili celeritate subigentem, hunc triginta tres annos una cum Saxo-
num gente bella gerentem: illum omnes, quibus cum congressus est,
exercitus fundentem, oppida castellaque munitissima expugnantem,
urbes, regna et maxima imperia occupantein, plurimas gentes uno tan-
tum praelio debellantem, victas autem in obsequio ita tenentem, ut ex
omnibus Asiae populis nescio an unus inventus sit, qui bellum iterum
absenti et quam longissime profecto movere sit conatus, plurimi vero
fuerint, qui et viventem amore et defunctum fletibus prosequerentur:
hunc vero Saxones multis praeliis ita profligantem, ut ad tempus illi
qui-

quidem cesserint, quotiescumque vero locus fuerit, rebellaverint, vi-
crique victorem ultro sint adorti. Nemo existimet, Alexandro cum
hominibus imbellibus et effeminatis imperique assuetis; Carolo cum
gente una omnium ferocissima dominique impatientissima fuisse ne-
gotium. Nam et Alexander cum populis ferocibus dimicavit, et Sa-
xones tandem Caroli posterorumque, quantumvis infirmorum, impe-
rium aequo animo passi sunt. Sed Alexander ita homines armis vi-
cit, ut animos simul in sui amorem et admirationem raperet, liberalita-
teque sibi obligaret, et totum denique se ad eorum ingenium mores-
que fingeret et transformaret. Qua quidem re id consecutus est, ut
victi populi se non sub victoris alicuius imperium concessisse, sed regi
regem, eumque meliorem, successisse arbitrarentur, ipse autem ab alio
populo ad alium cum exercitu velut peregrinans contenderet, nec ul-
lis feditonibus revocaretur. Carolus autem in victoriis ita se gessit,
ut omnia ferro flammisque vastaret, castella victis et praesidia impone-
ret, rebellantium multa millia securi percuteret, plura etiam millia in
aliens terras deportata dispergeret, uno verbo Francis suis Saxones
totos subjugare conaretur. Qua quidem re homines non tam suos fe-
cit quam alienavit, effecitque, ut absente se illi castella oppugnarent,
expugnata solo aequaliter, praesidia trucidarent aut depellerent, se au-
tem de mediis victoriis ex aliis gentibus retraherent. Simulac vero
Saxones Carolus in eandem cum principe populo juris libertatisque
conditionem accepit, legibusque eos suis et institutis vivere passus est,
quos amiores, quos magis fidos per omnia postera secula cives ha-
buit? quam facile contumaces illi homines et superstitionis suae et liber-
tatis sunt obliti? Tanti referebat novis civibus non solum spem sed et-
iam causam armorum non dare. Conferat secum, cui videtur, Sul-
lam et Caesarem, idem utrumque imperium affectantem, illum omnia
crudeliter, hunc plurima clementer et liberaliter facientem, utrumque
rerum potum, illum vero ita, ut ne per paucos reliquae vitae annos
obtinere dictaturam suam auderet, sed sponte eam, nescio voluntate
an necessitate quadam adductus, deponeret: hunc autem fundamenta
imperii tam firma jacientem, quae ne percussores quidem ejus, ipsum
de medio tollentes, convellere potuerunt. Facit huc Pyrrhus
Siciliam faciliter quidem negotio sui juris facientem, simulac vero
superbius imperare cooperat, rursus ejectus: facit etiam Bardanes
apud Tacitum(f) et alii, quos mitto. Tam verum est, quod pue-
ros

ros nos Nepos (g) ille noster docuit, nullum imperium esse tutum,
nisi benevolentia munatum, et quod Diodorus Siculus (h) ait: ἔτι
γὰρ ἡγεμόνων ὑπεροχῇ τηροῦνται μὲν εὐνόη καὶ δικαιοσύνη, καταλύνται δὲ ὁδο-
κίμασι, καὶ μέσει τῶν ὑποτεταγμένων. Principum potestia defenditur benevo-
lentia et iustitia, frangitur vero iniustitia et odio civium. Et quod morti
vicinus apud Herodianum (i) Marcus Antoninus testatur,
οὗτε γὰρ χρημάτων πλῆθος οὐδὲ ἀυτοχρής πρᾶξις τυραννίδος ἀκρασίας εὑτε διαφό-
ρων φρουρῶν ικανὴ φέρεται τὸν ἀρχοντα, εἰ μὲν πρᾶξις ή τῶν ὑπηρέτων εὔνοε.
Neque enim aut pecuniae vis, neque satellitum agmina, tueri principem pos-
sunt, nisi illi, quos regas, animum imperanti benevolentiamque accommodent.
Quid ergo exercitus aluntur? quid armis, quid munitionibus, quid
praefidiis opus est, si in uictoris clementia et superatorum voluntate tan-
tum est praesidii, si beneficiis allici homines tenerique possunt? At
non tam felicibus licet esse, qui rerum potiuntur, ut hominibus, nisi
qui liberalitate capiantur, non imperent. Quemadmodum enim
ubique homines ita comparati sunt, ut aliqui, iisque generosioris cu-
jusdam indolis, qui tamen paucissimi sunt, beneficiorum memoria,
plures spe, plurimi metu, ducantur, ita in novis imperiis sunt homi-
nes non modo boni, sed etiam pravi ingenii, sunt novarum rerum
cupidi, sunt, qui pristinae conditionis desiderio ardent, sunt denique,
iisque omnium plurimi, qui uti non totam servitutem, ita nec totam
libertatem, pati possunt, qui quidem omnes, quod licet, audent. Hi
nisi habent, quod metuant, in officio vix continentur. Cum iis igi-
tur ita agatur necesse est, ut una cum causa, etiam spes conata perfici-
endi tollatur, sin minus, periculum est, ne multi temporis labor,
et quidquid inde conceptum spei erat, uno temporis punto intereat,
et calamitas etiam infligatur. Moneat hoc nos Quintilius Varus, vir
ille clade apud Germanos accepta nobilis, homo mitis at imprudens,
qui in Germanis, populo recens victo, libertatisque, si quis alias, stu-
dioso, tanquam Romae in foro versabatur, sperabatque, se, quos alii
imperatores armis domare non potuerant, jure dicendo molliturum,
tanta usus securitate, ut ne monitus quidem bellum sibi fieri suspi-
cetur. Hic quid deerat Germanis, genti non tam barbarae quam
Romanis videbantur, ad spem Vari opprimendi, totiusque delendi
exercitus. Idem videtur reprehendum in Caesaris legatis ad Massiliam,
qui urbe pene expugnata obfessorum fletibus et misericordia capti ab oppugnatione destiterunt, animoque remissi, se-
posi-

positis armis, milites alios discedere, alios quieti se dare passi sunt.
Qua ex re Massilienses, fraudi doloque locum captantes, eruptione
facta omnia Romanorum opera disturbarunt, et incendio deleverunt.
En tibi, non quidem causam, sed tamen spem armorum datam, atque
inde detrimentum non leve acceptum. Nescio an Henrico Roano
Duci (k) adstipuler, qui in libro, ubi C. Caesarem ex suis ipsius commen-
tariis tanquam perfectissimi imperatoris exemplum proponit, causam,
quamobrem Galli, toties a Caesare fusi fugatiique, a quovis adarma
rursus capienda sollicitari potuerint, in leni eius facilique ad igno-
scendum ingenio, deprehendisse arbitratur, contendens, ex quo
ille in hominibus toties rebellibus severitatis aliquod documentum de-
disset, et in ditionem acceptos praecisis manibus domum dimisisset,
facilius Gallos quievisse. Hoc alii viderint. Illud tamen pruden-
tiissimum quemque video existimasse, C. Caesarem nisi sub interitum a
suo ipsius proposito descivisset, si in tanta sua felicitate paululum sibi a
superbia temperasset, plusque circumspectionis adhibuisset, adeoque
minus causae minusque spei percussoribus prebuisset, futurum non
fuisse, ut in morte tam acerba periret. Non placet per omnia omnis
aetatis exempla ire, ut evineam, multum spe deceptos fuisse, qui sola
liberalitate, nullo poenae metu, populum armis subjectum sub sua re-
tineri posse potestate sunt confisi. Satis puto in medium allatum
ad ostendendum, sapienter a Caesare factum, qui novae provinciae
nec spem nec causam armorum dandam ratus est, et male rebus suis
consulere, si qui spe armorum sublata causas tamen praebant, aut
causis ademptis, spem tamen ostendant, et quid de iis habendum
sit, qui, quos armis tenere non possunt, oneribus etiam et contumeliis
lacebant, denique caute et sapienter rationes suas putare, qui vi-
ctos tam firmis praefidiis tenent, quasi omnia armis velint agere, tam
blande uero eosdem et molliter habeant, quasi sola humanitate o-
mnia velint conficer. Atque hujus quidem sapientiae illustre speci-
men habemus Caesarem Augustum post pugnam Actiacam rerum
Romaé potientem. Ita enim omnes opes et omne robur imperii in
sua manu tenuit, ut si senatus et populus seditionem movere voluisset
non potuisset, et munieribus eosdem beneficiisque et comitate ita pelle-
ctavit, ut si bellum ei facere potuissent, noluissent tamen viderentur, si a
paucis quibusdam, nescio durioribus an imprudentioribus, recesseris,
quos et ipsos, cum ulcisci posset, humanitate et sceleris venia mol-
litiv. Hinc quid mirum si non ipse solum admodum grandis rep. diu
et

(k) le Parfait Capitain liv. 8.

et feliciter administrata, decessit, verum etiam imperium reliquit tam firmis superstructum fundamentis, quod nulla, quamvis magna, domestica vis concutere aut labefactare potuerit. Non opus est haec pluribus persequi. Quis ea non ex Vellejo, Tacito et Dione Cassio cognita et explorata habet? Relinquitur, ut cuius causa totum hoc negotium suscepimus sit, breviter exponamus. Nemo enim existimet, me quenquam, qui aut civiles aut bellicas artes tractat, instituendum sumere. Quis enim illud a me, aut meae fortis homine, expectet? Sed cum temporibus his, ubi bellis omnia ardent, quidam honesti et multae spei juvenes schola nostra relicita in academiam se conferre vellent, ex ipsis bellicis rationibus occasione sumta, eos admonere volui, quemadmodum, qui bella feliciter gesserunt, habent, qui parta tueantur, ita, qui in scholis bene versati altiora studia ingrediuntur, non secus, quae tueantur, habere. Comparauerunt illi quidem tantum liberalium artium, morumque elegantiae, ut multos alios suae fortis et aetatis vincent, id quod, quando animum ad altiora studia intentum habebunt, ne interire patientur, confirmant potius, et quam de se spem fecerunt, tueantur et aliquando re ipsa praesent, id illos ad nionendos rogasque duximus. Vale illi Musis nostris dicturi sunt crastina luce, et alter quidem

AVGVSTVS GODOFREDVS WAHLIVS,
Stotterhemens. Thuring.

de eo, quod litterae eleganiores adferant saepe multum detrimenti, alter vero
GOTTHOLD LEBRECHT KREBEL,

Wolmerstad. Thuring.

de Socrate sapientiam de caelo devocante sermonem habebit. Vtrique discessum gratulabitur juvenis probus et industrius

CHRISTIANVS IONAS BECKIVS.
Numburg.

De utilitate quam societas cum bonis praefat verba facturus. Ad quorum orationes audiendas summe Reverendos scholae huius Statores et Patronos, reliquos etiam ejusdem Fautores atque amicos, ut cras hora ix. promeridiana frequenter convenire ne dedignentur, observanter rogatos volui. P. P. die xxviii. Aug.

A. O. R. M D C C X X X X V I I .

••• (o) •••

QK Tc 610
m

B.I.G.

Black

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
3/Color								
Black								

Farbkarte #13

Q.H.352,42.

HC
610

DE QVIBVS DAM
ARTIB VS PARTA TVENDI

AD CÆS. B. G. VIII, 49.

NONNULLA PRAEFATVS

AD

X 23 A 6492

DVORVM ACADEMIAE CANDIDA-
TORVM

ORATIONES AVDIENDAS

QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CHRISTIANVS BENEDICTVS MILCKIVS

SCHOLAE CATHEDRAL. RECTOR.

NVMBVRGI,

IMPRIMEBAT, IO. GE. LAITENBERGER,
LITTER. BOSSOEGEL.

